



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Menstruorum Sanctorum sortitio à B. Francisco Borgia primò in
Societatem Iesv, inde in sodalitates Marianas introducta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

mo, & fluctuante, Thomæ de Kempis libellum aperiunt, aiuntque, se semper solatium reperire, & idoneum vulnere suo emplastrum.

Si non fors, certè fors fuit, incidisse in pios libros Ignatium Patriarcham nostrum. Nam cum in lecto iacere cogeretur, essetq; in prophanis libris legendis multum temporis collocare solitus, aliquem eiusmodi librum sibi ad manum dari iussit, ut eius lectione tempus falleret. Negantibus familiaribus, domi eiusmodi esse libros, duos Hispanica lingua scriptos accepit, ne prorsus otiosus esset, quorum alter Christi Salvatoris nostri, alter Sanctorum vitas continebat. Atq; horum quidè librorū lectione, sensim eius animus immutari, & imitandi, quæ legebat, studio quodam affici videbatur. Hoc initium fuit conuertendi illius militis, à quo tot conuersionum milliones pependerunt. Librum petijt: prophanum optauit: sacrum sortitus est. inde didicit sapere, vnde alios sapere doceret. Sed & sanctos tutelares sorte eductos non minus vtiliter, quàm piè, legimus.

Erat solenne familia Borgia, vetere instituto, ut è Diuorum numero aliquem quotannis sorte duceret. Seruabat religiosè hunc morem puer etiam tum Franciscus (Borgia) quem etiam in Societatem induxit, prius, quam familiam ducere cepit. Diui nomen cui obuenisset, is, profesto die, duos mendicos vicatim collectos alebat; festo verò, binis vini mares, feminis femina, ad mensam ministrabant. Ex hoc fonte manauit pia solennisq; Societatis consuetudo, ut singulis mensibus Sanctorum nomina sorte è stula educantur distribuanturq; singulatim. Quo die votis conceptis, religiosèq; persolutis opem sui quicq; Diui implorant. Didicerat id in gentilia Borgia familia Franciscus. Ognati quoq; idem seruauit; multa Socys indulgens, quo die Diui nomen sorte illis obtigisset: ipse adhuc precatiōni plus etiam temporis tribuere solitus. A Societate hic sortiendi mos in B. Virginis Sodalitates, atque inde in alias aliàsque, magno cum fructu, est propagatus. Multi è paruis schedis magna extirpare vitia, egregiasque exercere virtutes, Sanctosque peculiaribus colere honoribus didicerūt. Sed assuetudo quosdam facit negligentes. Alios ignorantia vtendi tanto fructu priuat. Si tollerent ignorantiam Exhortatores aut Concionatores, extinctis vtique impijs sortilegijs, fortes bonas inducerent, cultumque Diuorum longè latèque propagarent.

De alia Sancti patroni sortitione memorant, quam hïc non omittam interferere, Anno 1208. sacro baptismate tinctus est primus Ar.

VII.

Petr. Ribaden. l. 1. c. 2. de vita S. Ignatij Loio-
læ.

VIII.

Andreas Schottus l. 1. vitæ B. Francisc. Borgia. c. 1. Idem lib. 4. c. 4.

IX.

Leonardus